

orbati sunt? Imo vero nostris quidem temporibus obseruatum est, quod nonnulli ex multitudine, in campis tempore aestuo & tempestuo commorantes, tonitruque & fulguris effectum in contemptu & derisione habentes, subito a spiritu eiusdem soli inter ceteros periculum euidentes, ex animati & interficti fuerunt, inter quos fœmina quædam horrenda audacia & ineffabili erga Deum creatorem obstinata percita, tonitrua & fulgura contemnens, anumque suu erga illam mundi plagam, ex qua veniebat sonus, in derisionem connertens, subito est percussa a fulgure, & membrum in contemptum oblatum, miserabiliter ex omni parte est dilaniatum. Quid ad hæc respondent miselli huiusmundi philosophi? Anne creaturam hanc rationis tam diuinæ compotem, ex fumo terrestri & aqueo vitam suam accepisse creditis? Nonne ubique in sacris scripturis dicitur *tonitrua vox DEI?* Psal. 103. 4. Nonne vocantur *Angeli lebouæ venti facientes placitum eius?* Nonne dictum est, quod *DEVS posuerit densas nubes in vehiculum suum, qui itat super alas venti, facitque angelos suos ventos, ministros suos ignem flammam item, ex cuius increpatione aquæ diffugerunt, a voce cuius tonitrua accelerarunt fugam?* Quid? An cogitandum est, quod huiusmodi DEI mirabilia in fortuita vaporis aquatici & exhalationis terreæ generatione consistant? Absit ut ab homine Christiano mentis diuinæ gnaro hoc credendum sit.

Sed ut propinquius aliquantulum ad inanes philosophorum vanorum nugas accedamus, In primis eorum de ventorum ortu, deinde de nubium generatione, tum postea de meteororum ignitorum in summa aeris regione procreatione, Ac tandem de grandinis, niuis & glaciei initii s. inten- tias aliquantulum strictius examinabimus.

## C A P. III.

*In quo nugosa veterum philosophorum in suis de meteororum origine opinionibus vanitas & improbabilitas discutitur.*

**V**T cum Philosophorum veterum opinione de ventotum origine exordiat, in ea ipsi quodammodo hæsitare atque inter se discere parere videntur, utpote quorum sectam Peripateticam amplectentes & Aristotelis hac in re sententiam statim inantes, ventum definiunt, exhalationem calidam & siccam, difficulter inflammabilem, usque ad medium aeris regionem eleuatam, quæ inde a loci frigore deorsum depulsa, atque iterum ex suæ naturæ inclinatione sursum renitens, partim a levitate sua partimque propter alias exhalationes inferne occurrentes lateraliter mouetur supra terram in infima aeris regione, quem aerem agitat & ventilat, ne perpetua quasi desidia putrescat. hæc illi. Alij (inter quos Vitruvium nomine) volunt ventum esse aeris vndam, cum incerta motus exundantia, Vitruv. lib. I. c. 6. quando feruor occurrit humori, & impetus feruoris vim spiritus flantis inuertit. Primi ergo qui sectam Aristotelicam sustinent, halitum seu fumum aut exhalationem calidam & siccam, nihil pinguedinis, qua accendi potest, in se habentem, esse cansam materialem venti dicunt, qui ob defectum pinguedinis nec accendi potest, nec in nebula condensatione reduci, multo minus in nubem incrassari: atque hanc è terra emergere dixerunt, quamvis & Plinius ventos nonnullos ex aquis expirare dicat.

Quæramus autem jam quid isti Peripatetici (qui in naturæ inspectione ita præcellere videntur) de Cometæ ortu sentiant: Hunc enim ex fumo seu exhalatione terrestri, crassa, pingui, & viscosa, & ex partibus dense compactis, virtute astrorum, exterræ visceribus, in supremam aeris regionem eleuata, ibique dilatata, incensa & inflammata ortum dicunt, &c. Ita ut inter exhalationem ventosam & istam cometæ genetricem hoc intersit, videlicet, quod illa sit leuis, calida, & sicca, difficulter inflammabilis, utpote nihil pinguedinis in se habens: hæc vero terrestris, crassa, pinguis & viscosa ex partibus dense compactis, & facile inflammabilibus.

Incidunt ideo Peripatetici isti in scyllam cupientes vitare charybdin, dum in utriusque meteo- ri generationis descriptione, utramque materiam falsam esse, & minime veram ostendunt. Nam quidnam rei est in causa, quod una exhalatio cum non sit ad inflammationem apta, & consequenter frigori minus opposita, & cum in sua substantia sit leuior, quam altera, vi tamen frigiditatis mediae aeris regionis in ascensi suo impediatur, & deorsum ad locum, de quo eleuata est, teueretur: cum tamen nihilominus exhalatio altera, quam est crassa, pinguis, atque inflammabilis, & con- sequenter frigori mediae aeris regionis oppositissima, & in motu suo ad sursum minus ob pondero- sam suam crassitatem idonea, viam sine frigoris oppositione per medianam aeris regionem in supre- mam habeat? Quam male ergo conueniunt ista, & legibus Philosophiae quam sunt aduersa! quod scilicet grauia & magis compacta facilius naturali appetitu ascendant & a sua natura sursum tendant, quam quæ sunt letia, & tum postea, quod quæ ab inflammatione remotiores sunt in sua natu- ra, a frigore magis infestentur & oppugnantur, quam quæ inflammabiles sunt & mere igneæ dispo- sitionis? Hinc ergo liquet; quod cum dicunt, quod frigiditas mediae aeris regionis sit causa impe- dimentis ascensus exhalationis ventosæ, utpote quæ est calida & sicca, sed non inflammabilis, omni-

C 2

modo